

diator & transigens, potest per modum transactionis de jure unius alteri dare pro bono concordie, c. 21. de prob. 5to. Denique sententiæ Arbitri stare oportet, siue æqua siue iniqua sit, L. 27. §. 2. ff. h. t. nisi Arbitrator Juris sit, c. 13. de off. Deleg. in 6. Item nisi iniquitas sit notoria per c. 2. de presunt. L. 2. C. b. t. At sententia Arbitratoris potest reduci ad *arbitrium boni viri*, id est, ejus, qui alias in causa Ordinarius Judex esset; quæ reductio probabilius juxta Panorm. in c. 23. de jurejur. intra decem dies peti debet. Verum circa hanc reductio-

312 Q. 5to. An testes apud Arbitratorem producti, vel confessio apud eundem facta faciant fidem coram Judice reductionis? R. Testes, cum non sint apud Arbitratorem recepti in forma Judicii, ideo peti potest, ut in Judicio reductionis de novo examinentur, nisi in Compromisso de hoc cautum sit, L. fin. C. de Testibus. At confessio, etsi judicialis non sit, si tamen presente Adversario facta sit, plene probat. Mascard. de probat. Conclus. 346.

313 Q. 6to. An detur appellatio à sententia Judicis reductionis? R. negativè; ne detur reductionis reductio, & lis ex lite oriatur.

Dices: Judex reductionis est Ordinarius, à quo appellari licet. Ergo. R. Eum hic non agere ut Ordinarium, sed magis ut Arbitratorem, à quo non datur appellatio.

314 Q. 7imo. An pars contraveniens sententiæ Judicis reducens contrahat pœnam compromisso adjectam? R. affirm.

quia partes se obligant, ut sub pœna solvatur, quidquid vir bonus, ac proinde etiam Judex reductionis pronuntiavit.

Q. 8vo. An petens reductionem incipiat in pœnam quasi contraveniens arbitramento? R. affirm. nisi habuerit probabilem causam eam petendi, sic enim pœnæ obnoxius non est, Arg. L. 132. & L. 54. §. 1. ff. Locati.

Q. 9no. An reductioni renuntiari possit in compromisso? R. affirm. modo non reducatur ad eum casum, quo quis enormiter læsus esset, L. 27. §. 3. ff. de pact.

Q. 10mo. Quibus modis finiatu-  
promissum? R. 1mo. Morte Arbitri. 2do. Morte unius ex compromittentibus, nisi pro hæredibus sit compromissum. 3tio. Recusatione Arbitri suspecti. 4to. Lapsu diei arbitrio præfixi. 5to. Pronuntiatione definitiva super causa. Vid. L. 19. §. 1. L. 32. §. 11. & fin. ff. h. t.

Q. 11mo. Per quem executio compromissi fieri debeat? R. Per Ordinarium Judicem, non per Arbitrum. Ratio est, quia Arbitrator propriè Jurisdictionem non habet, L. 3. Cod. de jurisd.

Nota. Licet de jure veteri non daretur Actio ex compromisso, nisi ei stipulatio vel pœna adjecta fuisset, ut v. g. qui sententiæ Arbitri non pareret, centum... solveret; hodie tamen, si *Laudum* siue sententiæ per subscriptionem partium, aut per lapsum decem dierum homologatum, id est, confirmatum sit, jam datur Actio *in factum*, vel *Condictio ex Lege (b)* coram Judice Ordinario pro executione arbitrii.

Liber

(b) Condictio ex Lege locum habet, quoties ex nova Lege descendit obligatio, nec in ea Lege cautum est, quo genere Actionum quis agere possit.

Finis Libri I. Decretalium.